S.VIII.33.

SOLENNITAS NUPTIALIS
Viro
Præstantißimo ac Doctißimo
DN. DANIELI
KRUMBENIO, J. U. Candidato, SPONSO:
Nec non
Honestißimæ ac pudicißimæ fœminæ,
BARBARÆ Carstadt/
Viri integerrimi & omni laude dignißimi, Dn. HENRICI Burggraffen/ *Stetin.* Pom. quondam Commentariensis p. m. *relictæ viduæ, Sponsæ:*

pijs votis sacrata
ab
Amicis
Anno labente 1621.
die 29. Octobr.

STETINI, Typis Duberianis.

(81)

I.

O factum benè! ſic nempé exclamemus oportet;
Krumbenium captũ cum tenet alma Venus.
Illum Krumbenium, qui ſe ſacraverat uni
Et ſoli Themidi Iuridicæq́; Dicæ.
Non potuit caſtis hunc expugnare ſagittis
Intemeratus Amor connubialis Amor.
Non potuit, quæ præreliquis Venus eſſe Batáva.
Fertur blanda, ferum perdomuiſſe virum.
Fama tamen fuit, Elyſiam placuiſſe puellam,
Deq́; illo palmæ penè tuliſſe decus.
Fictum vel factum, non diſputo: penè tuliſſe
Concedo, aſt plenè, Iuno Sedina negat.
Juno Sedina negat: plenè planeq́; triumphat
De victo & vincto, namq́; ea Krumbenio.
Sic viſco tandem volucreis capiuntur, & hamum
Perca voras, etſi cauta ſagaxq́; fores.
Annè acclamandum eſt ἐφυγοκακὸν εὗρον ἄμεινον?
Omninò! o felix ſit tibi ſponſe torus.
Anne acclamandum eſt, vivant Chriſtoq́; ſibiq́;?
Omninò! o felix ſit tibi Sponſa torus.

Amicitiæ & affinitatis ergò tramittit,

Philippus Pitzan Paſtor Fiddichow.

Vt

II.

VT lucri cupidus volitans per saxa per undas
Mercator, pelagi mille pericla subit,
Dum Zephyrisq; Eurisq; Notisq; frementibus audax
Committit merces seq; ratemq; suam.
Non intemperiem, non sæva tonitrua cœli,
Non tumidi metuens aspera saxa maris:
Sed vel in adversos non horrens currere fluctus,
Undarum montes non penetrare timet;
Nam portum (requiem certam finemq; laborum)
Spectat, eò gressus dirigit atq; suos,
Quò sibi post varias dabitur requiescere tandem
Oceani turbas sævitiemq; maris.
Sic tibi post varios (ne dicam mille) labores,
Queîs hominum semper vita caduca subest,
Contingit tandem portus intrare petitos
Conjugij, & verâ, SPONSE, quiete frui:
Dum (vobis quod sit felix faustumq;) jugales
Ingreditur thalamos SPONSA pudica tuos;
Illa quia adversæ sortis, simul illa secundæ
Consors, adjutrix illa laboris erit.
Sic requie longos dabitur relevare labores,
Tempora sic placidæ læta quietis ages.
Ergò age securæ sic tempora multa quietis,
Sic Pylij vivas secula longa senis.

Τῆς εὐνοίας καὶ φιλίας ἕνεκα scrib:

Balthasar Cöller Stet: Pom:

III.

QVò? quò mens tua se Barbara proripit,
Dum sic igniferi tela Cupidinis
Et flammas & amores
Spernis sollicitos viri?
Non illasa mihi crede redibis hinc,
Quamvis te scopulis Caucasus horridis
Produxißet, acerba
Et victum dederint feræ.
Haud inferre tamen bella Cupidini
Audebis, misera, in quanta pericula
Es conjecta? laceßis
Hostem non superabilem.
Hîc non cum pueris, utpote homunculis,
Res jam (crede) tibi est; sed volucri Deo,
Qui bellum exitiale
Sævâ sæpè petit manu.
Tristem sed modò quid te video? quis ah
Infandus dolor ah pectoris occupat
Nunc præcordia? primi
Luges funus adhuc viri?
Absit. sat lacrymis flammea lumina
Indulsêre pii Conjugis ob necem.
Sat lugubribus ædes
Mugivêre ululatibus.
Hic si non, alius forsan erit dolor,
Qui mentem exanimat. certè aliis oßibus

Imis vulnus, amoris
Ictus & pateris novos.
Ergo victa jaces ægra Cupidinis
Telis, i, pueri temne volatilis
Post hac amplius arcum
Ulli parcere nescium.
Quis nunc Ambrosiæ porriget illico
Succos? quis requiem? quisve malagmata?
Quis fomentaq; cordi
Reddet mollia saucio?
Heu quod nulla valet viribus herbula,
Qua vulnus potis est hoc relevarier!
Una ars est super, arte
Major nempe Machaonis.
Quare vulneribus si medicamina
Non sunt, cuspide eâ qua violata eras
Aegro corpore, tentes
Ictus tollere morbidos.
Solers arripe tu Barbara pharmacum
Quod dixi, inde erit, hoc qui tulit asperum
Vulnus, blandus ut idem
Blandam præstet opem, Puer.
Quem si non Pomeris Marchia forsitan
Monstrabit tibi, (nam cuncta nequit simul
Tellus unica ferre.)
Et non evenit hoc male.

Dum non plebējo progenitum patre
Excultumve minus seligit, aut cui
E pejore metallo
Fictum pectus inest, virum:

Sed cùi Mæonio Phœbus in atrio
Mentem finxit, & hinc mox propriô Themis
Fovit provida lacte,
Nec non jura dedit sacra.

Sic primo, numerans Codice duplici
Leges veridicas, absimilis puta
Non est iste marito;
Dispar quin nec erit tibi.

En ergo Medicus Barbara sic venit.
Hic est luctifico vulnere pectoris
Qui præcordia læsit,
Hic est ille Amor & Puer.

Conjunx idem etiam jam sit amabilis.
Hunc gratare tibi, hunc affice honoribus,
Hunc & dilige, fama
Quem fecit bona plurimi.

Cœlestis socio gratia lectulo
Aspiret: faveat conjugibus novis
Et fœcundet amorem;
Lusu ne careat, Deus.

F.

Augustinus Puchner Crossæus Slesica.

IIII.

FRonte age nunc lætâ, Doctissime Sponse, triumpha,
Lætitiæq; novæ plurima signa dato!
Optatos celebra thalami felicis honores,
Incidit in casses Sponsa petita tuos.
Marchia quæ multas nutrit castasq; puellas,
Inter tot omnes Nympha Sedina placet
Dotibus ingenij quæ verè est prædita multis
Est proba, casta, decens, gnara domusq; pia.
Hæc auro præstat claro fulgore nitenti
Fœmineo lucens inclura fama choro.
O nimium felix ô terq; quaterq; beatus.
Cui fato, talis Sponsa, favente datur.
Qui dedit, auspicijs adsit Deus omine dextro,
Conjugibus largas detq; benignus opes.
Qualis amor mites nectit castasq; puellas.
Jllorum jungat pectora talis amor.
Exsuperet Sponsus grandævi Nestoris annos
Sponsa Sybillinæ secula vatis agat.

Honoris & amoris causa scribebat.
Johannes Schultz Sponsæ consanguineus.

Ad Sponsum.

HActenus es totus Musarum castra secutus,
Vertendo juris lumina, Sponse, sacri.
Nunc cõjuncta subis, Veneris, devictꝰ amore
Castra, intrat thalamũ IUNO SEDINA *tu-*

M

Macte age & his castris intentus vive perennè,
Applaudet Phœbus, plaudet & alma Venus.
Illinc impensi capies offerta laboris
Præmia, & hinc lecti germina culta tui.
Qui dedit, efficiat blandum & sine murmure & irâ
Connubium, Sponsos prosperitate beet.

Cùm amoris tùm honoris ergô scribebat.

Ioachimus Schultz Sponsæ consanguineus.

FINIS.



9 21116 **Bibliotheca** 105 000
P.P. Camaldulensium in Bielany

Depozyt w Bibliotece Jagiellońskiej
06393

S. VIII. 33